

ex præensione rerum futurarum; alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur coeli temperatione, fecunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia; tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terrae motibus, et saepe fremitibus lapideisque imbribus, et guttis imbrum quasi cruentis; tum labibus, aut repentinis terrarum hiatibus; tum, praeter naturam, hominum pecudumque portentis; tum facibus visis coelestibus; tum stellis iis, quas Graeci cometas, nostri crinitas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae; tum sole geminato, quod, ut e patre audiui, Puditano et Aquillio consulibus evenerat; quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est. Quibus exterriti homines vim quandam esse coelestem et divinam suspicati sunt. Quartam causam esse, eamque vel maximam, æquabilitatem motus, conversionem coeli, solis, lunæ, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem; quarum rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquem, aut in gymnasium, aut in forum venerit; quum viderit omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem, qui intelligat, qui praesit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

Chrysippus quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videatur. *Si enim, inquit, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit; est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res coelestes, omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non*